



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1415. usque ad annum 1431

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118294

§. 148. Confirmatio Bullæ Carolinæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66272](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66272)

fisi, ad locum venerint iudicii, alias non venturi, nec sic promittentem, cum fecerit, quod in ipso est, hoc in aliquo remansisse obligatum. Aliud adhuc lectum fuit Decretum, in quo Synodo latam a se contra Hussum sententiam vindicat, hoc tenore: Cum Joannes Huss fidem orthodoxam pertinaciter impugnans, se ab omni salvo conductu & privilegio reddiderit alienum, nec aliqua sibi fides aut promissio de jure naturali, divino, vel humano fuerit in præjudicium Catholicæ fidei observanda, Synodus declarat, Imperatorem circa Joannem Hussum, non obstante memorato salvo conductu, ex juris debito fecisse, quod licuit & debuit, omnibus cujuscunque status & dignitatis præcipiens, ut nullus deinceps Concilio, vel Cæsari de gestis circa Joannem Hussum, detrahat, sive quomodolibet obloquatur. Qui vero contrarium fecerit, tanquam fautor hæreticæ pravitatis, & reus criminis læsæ Majestatis sine spe veniæ puniatur. Exhibet hoc Decretum Vonder-Hardtus tom. 4. p. 522. sed in Concilii actis impressum non habetur.

Sæcul. XV.

A. C. 1415.

§. CXLVIII.

Confirmatio Bullæ Carolinæ.

Alia præterea lecta fuere Decreta, quorum altero confirmata fuit Constitutio, seu Bulla Carolina immunitatem Ecclesia-

Vonder
Hardt to. 4.
p. 523.

clesia-

Sæcul. XIV.
A. C. 1415.

clesiasticorum concernens, & mandat Synodus Vicecancellario Romanæ Ecclesiæ, ut executorias hujus Bullæ literas in forma solita expediat. Vocatur Carolina, quia innovatio & confirmatio est Constitutionis in favorem libertatis Ecclesiasticæ contra Laicorum insultus a Friderico conditæ, quæ ab Honorio III. approbata, demum ab ipso Imperatore Carolo IV. Tangermundæ anno MCCCLXXVII. innovata fuit. Vi hujus confirmationis Synodus omnes invasiones, vexationes, aliaque molimina adversus jura, libertates & immunitates Ecclesiasticas attentata a tempore Urbani VI. annullat, atque irritat.

§. CXLIX.

Alia Decreta.

*Labbe Conc.
tom. 12. p.
173.*

Sequens, quod legebatur Decretum delegavit Patriarchæ Constantinopolitano, & Episcopo Sylvanectensi facultatem audiendi & cognoscendi de hæresibus in Bohemia ac Moravia invalescentibus, eisque plenam omnes suspectos in fide citandi & judicandi potestatem dedit, usque ad definitivam sententiam exclusive. Alio decreto sancitum, ut Beneficiati in Concilio præsentibus Beneficiorum suorum fructus perciperent; ultimo vero ordinatum fuit, quod nomine Concilii literæ super
super